

70. Hæc sunt Remedia, quorum usus est apud Medicos potissimus. Cum verò inter illa de *Lentibus* Lis sit decantatissima, & nos hic merito paululum hæremus. Ad experientiam provocant ii, qui lentes commendant; & signaturâ ducuntur, qui vim occultam illis tribuunt; qui manifestam, Refrigerandi, Incrassandi, & Ebullitionem compescendi laudant facultatem. Alii contra planè hic Lentes eliminant, quorum rationes recitat *Sennertus in Institut.* Nos, certè Lentos ad Lentes & timidos hic magis esse convenit, quàm audaces, cumq; Monitu *Sennerti* dentur alia quæ citra controversiam sunt commendatissima, hæc præferimus, tantisper dum Experientia aliud nobis persuadeat, Lentes autem suis interim Cultoribus relinquimus. Quid enim ex Signatura momenti? *Gerra sunt germanæ, atq; adepol lira lira.* Cur non omnia Viæiarum genera aliaque semina in usum trahuntur ex quibus non sunt nulla quæ pulchrius repræsentant Variolas aut M. quàm Lentes? Exemplis similibus Signaturas exagitat Excellent. Dn. D. *Simon Pauli*, Præceptor olim meus omni Reverentiæ memoria dignissimus. Rectè *Quercetanus* ipse Signaturarum Admirator: *Signatura, inquit, non Causa sed Occasio quædam esse debet, ad dignoscendas Plantarum virtutes.* Igitur vel Ratio consentiat Signaturis, vel Experientia, hæc vires occultæ, illa manifestæ probantur. Experientia certè sine ratione fallax, nec enim solæ in usum trahuntur, quod tamen requiritur ad Experientiæ Certitudinem: alias de fallaciâ causæ periculum est, quàm in arte nullâ frequentiore esse proclamat alicubi *Sennertus*, quam in Medicina: Nec Medicamentis semper opus est ad Eruptionem promovendam, cum sæpe sine illis *Φύσιν τῶν ἰσχυρῶν ἰσχυρῶν ἰσχυρῶν* esse dixerimus in Præloquio. Quid si jam ægrorum vel viginti evadant quibus Lentium decoctum propinaveris, num argumentaberis Naturam non potuisse mederi sine Lentibus? Has sane causas esse judicamus potissimas, cur Medici, qui artem eam tractant, in quâ num data Remedia profuerint an læserint, experientia potest judicari, de iis tamen quæ jurant vel nocent, sententias protulerint maximè inter se repu-

*Quadrip.
Class. 1. p. 2.
& Class. 3.
p. 128.*

*v. Sen. l. 2.
de Febr.
c. 20.*

*M. P. 5. 4.
10. p. 441.*

repu-